Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. I. Pars II.

Wien, 1794 Seite 1989

Quelle:
Copyright:

ſit tohar abominationem deſolantem et deſtruentem verum cultum. Per abominationem intelligit contrarium cultum vero cultui; hunc locum ſecutus eſt Mattheus in ſuo Euangelio. 25. v. 24. Nota autem hic diligenter vau illud redundare, aut aliquid debere ſubintelligi nempe verbum — — Vt ſi diceres in alia loquutione, Franciſcus Vatablus et legit, i. venit et legit.) ſ. Erunt dies mille ducenti et nouem. *i. anni tres cum dimidio et diebus circiter duodecim (hos autem dies additos ſuperioribus ſubiungit ad refrigerium Electorum, hos, inquam, de quibus mox dicet)* beatus. *ſ. erit vir ille* qui ſpectauerit *ſ. finem horum*, et peruenerit ad dies mille trecentos triginta et quinque. Tu autem *ſ. Daniel* vade, *Vadas* ad finem *ipſum i. ad finem tuum ad finem omnis carnis i. ad finem tibi a natura datum. i. tu morieris*, et quieſces et ſtabis in ſorte tua *i. quieſces in ſinu Abrahe* in fine *horum* dierum, *de quibus ſupra dixerat, i. vsque ad finem iudicij.*

Quaedam utique adparent *Vatabli*, ſed fortaſſe *Bertinus le Comte*, a quo *Stephanus* Adnotationes illius habuiſſe in Epiſtola *Bibliis* lat. anni 1557. cum hujus *oliva* f. editis praevia dicitur, curatius ab ore Magiſtri pependit. *Diazius* noſter penſo ſuo haec ſubjecit: *Interpretationem Danielis difficillimam ſane abſoluit XV. die Martij 1541. Doctiſſimus F. Vatablus pariſijs.*

introducta noua religio. Juge ſacrificium *vmbra erat veræ religionis, aut ſacræ euchariſtiæ. Vide Matth. 24. b.* Quum videritis abominationem deſolationis &c. *Videtur hic* Abominationem deſolationis *intelligere cultum contrarium vero cultui Dei veri. 22. i. anni tres cum menſibus ſex et duodecim diebus. 23. Addit ſuperiori ſummæ XLV dies, in quibus erit refrigerium electis, vt eſt Matth. 24.* Statim poſt tribulationem illorum temporum apparebit ſignum filij hominis. *Ergo poſt afflictionem iſtam erit pauxilla requies ſanctis ab illa calamitate.* 24. Vel *perges, quaſi diceret, Tu autem interim morieris, neque hæc videbis.* 25. in ſorte tua in finem *horum* dierum, *ſubintellige, de quibus dixi tibi. Quieſces in ſinu Abrahæ vsque ad reſurrectionem mortuorum.*

DXVIII.

Codex chartaceus hiſp. Sec. XVI. Folior. 212. 8. inſcribitur: *El Salterio Traduzido Del Hebreo En Romance Caſtellano.* Praefatio prolixa dirigitur: *A La Illuſtriſſima Senora La Senora Dona.* Nomen ipſum, quod toties Codicibus accidiſſe lamentamur, male conſultus quidam atramento penitus oblevit. Agit 761